

05  
A  
2473



PRÆCOGNITORUM THEO-  
LOGICORUM  
DISPV TATIO IX.

*De*

ATTRIBUTIS,  
USIBUS, MODIS PRO-  
PAGANDI, COMPARATIONE  
CUM RELIQUIS DISCIPLINIS, ET  
OPPOSITIS THEOLOGIÆ,

Quam

DEO DUCE ET AUSPICE

*In Illustri Academiâ VVittebergensi*

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI,

S. S. Theol. D. & Prof. Publ. Præceptoris sui  
summoperè colendi,

*Venit landam & examinandam*

Proponit

M. GOTHOFREDUS BARTHISIUS,  
Suidniciensis Silesius.

*Ad diem 8. Junij in Collegio Veteri.*

---

Witteberga, Typis Johannis Gormanni,  
Anno M DC XXV,

RECOGNITORIUM THEO-  
LOGICORVM  
DISPUTATIO IX

ATTRIBUTI  
LIBRIS MODIS PRO-  
PAGINIS COMPARATIONE  
CUM RELIGIOSIS DISCIPLINIS, ET  
OPPOSITIS THYROLOGIE.



Dr. DAUHUS TURIS M 50 2473  
e. g. Typo! Dr. DAUHUS TURIS M 50 2473  
imprimatur et typatur  
in libris et in manuscriptis  
libraria et typaria

M. GODFREDUS HARVILLI  
Scripsit et Scholastico  
ad hanc Jannini Caligio Litteram  
libri Japonicus et Chino-Portugali  
libri Japonicus et Chino-Portugali

II. 1600. 1601. 1602. 1603. 1604. 1605.  
1606. 1607. 1608. 1609. 1610. 1611.

PRÆCOGNITORUM THEO-  
LOGICORUM.

## *DISPUTATIO IX,*

**V**idimus in proximè antegressâ disputatione appellations, varias species, verum genus, causas tum externas, tum internas, & ex illis exstructam definitionem Theologie omnium verissimam. Jam narrâ modo tractationem eorum, que in hoc capite tertio adhuc restant, proratione methodi nobis prescripte insequemur: quo omnia Theologie naturam, & indolem genuinam plenius manifestabunt. Ne verò à linea (quod alias dici solet) excidamus, tota hec nostra Disputatione quinq. sequentibus membris includenda erit, quorum I. ager de attributis seu affectionibus Theologie. II. de effectibus suis usibus & operationibus. III. de variis modis proponendi, & propagandi Theologiam IV. de comparatione ejusdem cum aliis disciplinis. Et denig. V. de pugnantibus cum Theologia. Supremus autor Theologie suam nobis largiatur gratiam, ut hanc Theologię causam agamus fideliter, & cum usu publico ad finem perducamus!

## THEOREMA I.

Multa quidem, in hoc membro primo, attributas. *af-* Membri I.  
fectioes Theologia recenser possent: sed tantum pricipias e-  
iusdem enumerabimus, quarum nobis occurruunt tredicim,  
de quibus omnibus ordine differemus.

## THEOREMA II.

Theologia  
est  
1. Una,

*Est igitur Theologia (1.) UNA.*

Hoc demonstrari potest, tūm ratione objecti, quia unius est Deus Deut. 6. v. 4 circa cuius cognitionem salutarem Theologia unicè occupata est, quod definitio ejusdem nominalis satis expōnere videtur, dum nobis ostendit Theologiam nihil esse aliud, quam λόγον τοῦ Ιησοῦ, hoc est sermonem seu doctrinam Deo; tūm ratione ęcias seu essentiae vel quoad unitatem specificam, quod ipsum patet ex formā ejusdem, quae consistit in una verorum conceptum de rebus divinis comprehensione seu coordinatione: ab unitate autem formae, dependet quoque unitas essentiae; tūm ratione ęcias seu existentiae, vel quoad unitatem numericam, quia in quovis individuo vel Theologo, una numero est, & existit Theologia, cum prorsus adūcatur sit duo immediatè contraria simulexistere in uno subjecto.

## THEOREMA III.

2. Vera.

*(2.) VERA est.*

Et quidem efficienter, cum originem trahat ab illo qui ipsissima veritas est Deut. 32 v. 4. Iohann. 3 v. 33. & c. 14. v. 6. mentiriq[ue] ne scius Num. 23. v. 19. Eb. 6. v. 18. & sui verè studiosos veraces efficiat, quando à Spiritu S. in omnem veritatem dedicuntur, & veritate sanctificantur. Formaliter, siquidem veros conceptus de rebus divinis in sece complectitur. Finaliter, quia ad æternam veritatem veluti scopum sibi unicè præfixum semper respicit. Effectivè, siquidem ejus effectus sunt vera regeneratio, justificatio, sanctificatio, glorificatio &c. Adjunctivè, quia una est: (ut theoremate 2. demonstratum fuit) sicuti autem unitas à veritate; sic veritas ab unitate dependet, cum plus uno verum esse nequeat. Deinde etiam Theologia τῆς παναγίου seu concēntu omnium partium dulcissimo, & ad mirando perpetuò constat, qui veritatis index infallibilis.

## THEOREMA IV.

3. Certa.

*(3.) CERTA est.*

Et cum primis ob principii nempe verbi divini, ex quo hauritur, infallibilitatem: siquidem nō ratione nititur Theologia, sed reve-

revelatione; non lumine solius naturæ, sed gratiæ, non demonstrationes profert  $\chi\alpha\mu\mu\eta\alpha\zeta$ , sed  $\chi\alpha\phi\eta\alpha\zeta$ ; non querit res cädicas, sed divinas, non tradit hominum commenta, sed ipsius Dei effata, qui verax est, cuius dicere est facere, cuius verba res ipsæ sunt. Es. 46. v. II.

### THEOREMA V.

#### (4.) *PERFECTA* est.

4. Perfecta

Idque respectu sui ortus, quem dicit à Deo, qui omnium perfectissimus respectu sue gloria, siquidem ens est, omne autem ens in suo genere est perfectum, ut notum est ex schola Metaphysicorum; respectu finis, cum nos ad perfectissimam, & consummatam beatitudinem deducat, quæ finis ipsius Theologiae formalis est, & propinquus; respectu effectus, quia nos per omnia ad perfectionem dirigit. Notandum autem quod Theologia, licet ratio ne sui esse & status praesentis vita cōsiderata sit perfecta; limitate tamen imperfecta dici possit: nimur ratione futura scientiæ in altera vita. Cernimus enim hic dī  $\tau\sigma\pi\tau\gamma\gamma$  ēv  $\alpha\text{ι}\nu\mu\alpha\pi$ ; ibi autem cernemus  $\omega\text{ρ}\sigma\omega\nu\pi$   $\omega\text{ρ}\gamma\pi\pi\nu\pi$ : hic videmus  $\omega\text{ρ}\pi\pi\pi\pi\pi$ ; ibi autem videbimus  $\delta\lambda\pi\pi\pi$ ; quod habemus hic in spe; ibi habebimus in re.

1. Cor. 13, 8<sup>12</sup>

### THEOREMA VI.

#### (6.) *IMMUTABILIS* est.

6. Immutabilis.

Malach. 3.  
6. 6.

Et quidem *tum ratione* sui esse, quia est æternæ & inviatæ veritatis quedam expressio; *tum ratione objecti*, quia versatur circa immutabilem objectum, quod Deus est, qui mutari nequit: quale autem objectum, talis etiam scientia; *tum ratione principii* ex quo desumitur, quod verbum Dei est: illud autem habet promissionem æternæ durationis Es. 40. v. 8. Verbum DEI nostri stabit in seculum, & Matth. 24. v. 35. *Calum* & terra peribunt, verba autem mea non peribunt. Si itaque verbum non peribit, multo minus Theologia, quæ ab illo tanquam principiatum à suo principio unicè dependet. Scendum autem, quod nos hoc in loco immutabilitatem verbo nō assignatam velimus, quatenus in chartis seu membranis hæret: verum æternum & immutabile illud esse dicimus, ratione sui divini sensus, & quatenus in mentibus fidelium manet.

## THEOREMA VII.

6. *Divina*,

(6) *DIVINA est.*  
Quod ex sequentibus patet. Nam *eius author Deus est*, hinc dicitur τὸ μαρτύριον τῷ Ἰησῷ 1. Cor. 2. v. 1. οὐ φίλοι τῷ Ἰησῷ 1. Cor. 2. v. 7. ὁ λόγος τῷ Ἰησῷ 1. Thess 2. v. 13; *eius principium Scriptura est*, quæ dicitur Ἰεόπνυθος 2. Tim. 3. v. 16. *eius objectum divina mysteria sunt*, quæ omnem humanæ rationis captum longè superant, nec ratione comprehendendi, sed solâ fide apprehendi possunt; *eius subjectum sunt corda fideliūm*, qui propterea etiam νοικονομοῦ τῆς Θύρας Δεῖας efficiuntur 2. Pet. 1. v. 4; *eius forma divina veritas est*; *eius finis Dei gloria*, qui primarius, & beatitudo nostra, qui propinquus; *eius effectus divina ope inducti sunt mentis illuminatio*, cordis purgatio, carnis subactio, & talis omnino informatio, per quam & rectus de Deo sensus, & religiosus erga Deum cultus in nobis gignitur, quæ omnia summè divina sunt, & religiosa.

## THEOREMA IIX.

7. *Sancta*,

(7) *SANCTA est.*

Quod demonstrari potest ex serie causarum. Nam *quoad efficientem immediatam est à Deo*, qui in τελείωσι illo Es. 6. tec sanctus dicitur; *quoad mediatam pendet à verbo*, cui sanctitas tribuitur Psal. 19. v. 8; *quoad materiam*, quæ triplex; vel enim est materia circa quam & dicitur religio, quæ sanctitate nullo modo carere potest; vel est materia in qua & sunt corda fideliūm à Spiritu S. sanctificata, unde etiam templa Dei dicuntur, in quibus Spiritus S. habitat 1. Cor. 3. v. 16. vel est materia ex qua, quæ sunt principia, & conclusiones sanctæ, quibus Theologia constat; *quoad formalem*, quæ sancta ipsius Dei veritas; *quoad finalēm*; quæ vel interna, & est perductio ad vitam omnium sanctissimam, & beatissimam; vel externa, quæ est ipsa fructio vita hujus sanctæ & beatae: *quoad effecta*, sunt spes, charitas, patientia ardens precandi studium, & similes Christianæ virtutes, quæ omnes sine sanctitate esse nequeunt. Deinde etiam sanctitatem Thologię nostræ demonstrare possumus ex triplici hujus vocabuli significacione. Sanctum enim (i) idem est, quod ab aliis separatum,

& certis usibus dicatum; præsertim vero ipsi Deo consecratum est, quo sensu dicitur *Exod. 16. v. 23*. Cessatio Jehovæ sancta erit et ceteras &c. & *Luc. 2. v. 23*. Omne masculum adaperiens *unusq[ue]* consecratum vel sanctum domino vocabitur. (2.) Sanctum idem est, quod augustum & inviolabile, quo sensu accipitur illud *Ezech. 22. v. 8*. sancta mea. id est, statuta & leges meas, quæ violari non debebant sprevistis. Hinc est quod nonnulli vocem illam deducunt à sanciendo, quoniam isti, qui sanctum violavit pœna vel multa est sancita; vel à sagminibus. Sunt vero sagmina herbae quædam, quas legati Rom. Pop. ferre solebant, ne quis eos violaret. (3.) Sanctum significat purum sive justum vel justitiæ universalis præditum, si de persona accipiatur, quo sensu Deus dicitur sanctus *Esa. 6. v. 3*. & sanctitatem talem requirit. *Levit. 19. v. 2*. sancti estote: quia ego sanctus sum. Et hæc sunt primariae significations vocabuli sanctus sive sanctum, quæ omnes ad Theologiam elegantè reduci possunt; Quam propterea tribus de causis sanctam vocari posse asserimus. 1. Ob separationem, & consecrationem, quia Theologia operam dantes omnia sua studia à profanis usibus separata soli Deo dicare & consecrare debent. 2. Ob inviolabilitatem & majestatem, quia divina est, eiq[ue] nihil addendum, nihil detrahendum. 3. Ob puritatem & justitiam internam, quæ singulärerè prædicta est.

### THEOREMA IX.

(8) NOBILISSIMA & PRÆSTANTISSIMA  
est.

8. Nobilit  
simæ & Præ  
stantissi  
ma

Præsertim ratione obiecti quoniam non agit Theologia de bonis fortunæ, quæ fluxa; non de bonis corporis, quæ fragilia; non de secularibus bonis animæ, quæ incerta sunt. Altius sacra-tissima illa Diva ascendit, & summum infinitumq[ue]; Bonum inquirit, ipsius Dei notitiam scrutatur, & illa investigat ad quæ omnia ratio humana obtumescit. Hinc res Theologicæ dicuntur R E V E L A T I O N E, cum tantum ex verbo nobis revelato innotescant; & mysteria, cum quasi velentur, nec manifestè, totaliter & apriori videantur; & A R T I C U L I F I D E I, cum non Q u o d; sed dun-taxat

taxat m̄s̄ ei percipientur. Tria aliis dantur scientiarum objecta,  
quædam enim sunt infra rationem; quædam juxta rationem;  
quædam supra rationem. Quæ sunt infra rationem, sensibus no-  
stris percipi possunt; quæ juxta rationem per ipsam rationem co-  
gnoscuntur; quæ vero supra rationem posita sunt illa neque sen-  
sus neque ratio capit; sunt enim mysteria divina; quæ sola fide  
assequuntur: ex quibus omnibus fluit, quod Theologia ratione  
objecti omnium sit nobilissima. Deinde etiam talis est ratione  
fini qui beatitudo; siquidem Theologia per salutarem D e i y o & r o  
provehit nos ad beatitudinem, quæ respectu renatorum hac  
in vita inchoatur, in alterâ verò consummabitur. Habeant itaq;  
voluptuosí suas delitias: custodiant avari suas arculas: jaçtent  
Politici suos titulos: extollant Philosophi sua axiomata; Medici  
suę Pharmaca; Jcti sua consilia, & Principum sive placita sive  
rescripta aut edicta. Ad Theologiā collata aut ab ipsa tacta mox  
omnem amittunt splendorom, & veluti poma Sodomitica ab-  
eunt in cineres & favillas; quia humi repunt, & illa continent,  
quæ acumine humani ingenii inventa & experientia, multisque  
observationibus comprobata sunt. Nihil autem ab iis audies de  
vera D e i notitia, nihil de solida conscientiæ tranquillitate, nihil  
de sempiterna beatitudine, ad quam tamen singuli & universi,  
tanquam scopum, sibi unicè præfixum collimare debemus. O-  
mnia apud eos sunt frigida; non ibi mens elevatur ad D e u m;  
nulla ibi salutaria colloquia instituuntur cum D e o; nulla in animo  
fides & devotio accenditur, nullum mundi tedium, nullum  
mortis desiderium ingeneratur. Terra sunt, & instar terræ fri-  
gent, rigent, nigrescunt omnia. Theologia verò à calo egredi-  
tur, & nos per eam cælum ingredimur. Discamus ergo cum  
D. Hieronymo in hac terra, quorum fructus durat quoque in  
altera vita. Deniq; etiam nobilitatem & præstantiam Theolo-  
Pan. 2. 6. 31.giæ demonstrare possumus per statuam illam quam Rex Nebu-  
cadnezar in somno vidit, cuius tibiæ luteæ ferreæq; assignari pos-  
sunt Philosophis, quoniam prima tradunt fundamenta, quæ in-  
star tibiarum sunt entant reliqua membra; nec non in opinioni-  
bus suis nonnunquam sunt rigidi ferreiq;, quibus tamen luto  
interdum intermixtum est. Medicis tribui solet venter æneus,  
quippe

quippe cuius curam principaliter agunt, & quorum facultas nobilior estimatar Philosophicā; adhuc tamen ænea, & circa mixturas varias occupata est. Etis assignari potest pectus cum brachiis argenteum, siquidem justitiam corde docent concipere, brachiis defendere: quæ quidem facultas satis præstans ob bonum Reipublicæ quod promovet, actuetur: non tamen est nobilissima, sed argenti naturam imitatur, quod infra auri præstantiam subsidet. *Theologia* vero nostra tanquam facultatum omnium nobilissima & præstantissima caput aureum occupat, & tota aurea est ob puritatem quā excellit, ob nobilitatem quā pollet, ob nitorem quem emittit, ob soliditatem quā constat, ob evē-  
ryæ singularem quā in movendis confortandisq; animis operatur. Ut itaq; caput inter corporis membra, ut aurum inter metalia omnium nobilissimum est: sic *Theologiae* inter Facultates reliquias meritō principatus & primatus assignatur.

## THEOREMA X.

### (9.) JUCUNDISSIMA est.

Nihil n. potest esse jucundius, quam quod ad cognitionem & fruitionem DEI deducit: mundo quidem utimur, sed solo Deo fruimur. Quid a. potest esse jucundius quam Deo frui? Hoc ipsum optimè intellexit Regius Psaltes, ideo exclamat *Psal.* 84. v. u. *Melius est dies una in atrio Domini, quam alibi mille: ibi n. anima nostra veram quietem invenit, quam alias frustra in hisce transitoriis, & mundanis quærat.* Imo omnia, quæ nobis alias jucunditatem adferre solent, in *Theologia* nostra invenire possumus. Sin. quis delectatur opibus, *Theologia* est, quæ nobis thesaurum in cœlo repositum monstrat, quem neq; æringo corrupti, neq; fures prodere, neq; furari possunt. Si aliquis appetit honores, *Theologia* est, quæ homines ad honores evehere, & ex illis Reges & Sacerdotes facere potest. Si quis desiderat convivium splendidum, *Theologia* est, in quā ejusmodi convivium opiparum pro cordibus famelicis paratum invenimus, ibi panis vita qui de cœlo descendit, & potus qui est fons aquæ salientis in vitam æternam nobis apponitur. Si quis delectatur suavitate mellis, *Theologia* est, quæ nos docet præcepta Domini, quæ dulciora melle & stillatione favorum. Si quis desiderat animæ

9. *Jucundissima.*

*Matt. 6. 6. 20*

*Apoec. c. 1. 6. 6  
c. 5. 6. 10.*

*Luc. 14. 6. 16.*

*Job. 6. 6. 13.*

*Job. 4. 6. 14.*

B medici-

*Exod. 15. 3.*  
26.  
medicinam, Theologia est, quæ nobis animæ pharmaca proponit; imo ad ipsum medicum nos deducit, qui semper inclamat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis & ego reficiam vos. Quis itaq; Theologiam esse omnium jucundissimam negaret?

10. Utilissima & salutifera.

Vita nostra comparatur navigationi.

THEOREMA XI.  
(10.) UTILISSIMA & SALUTIFERA est.  
Quoniam ipsa doctrinam veram docet, falsam refutat, vitam emendat impiam, in cruce solatur, & ad sempiterna gaudia nos dicit. Quid vero his omnibus excogitari potest utilius? Vitæ humanæ cursus navigationi non immerito comparatur. Mundus in quo degimus tanquam mare fluens & restuens; littus unde solvimus nativitas, portus quò tendimus, æterna felicitas; naucleris querâ sequimur Christus; anchorâ quâ nitimur fides est. Hic verò arte, hic regulis opus est, ne vel in desperationis charybdin, vel in securitatis scyllam incidamus, adeoq; & fidei & salutis triste faciamus naufragium. Hanc artem & istas regulas sola nobis Theologia suppeditat, quippe quæ docet, cum fiduciam concipere in Deum ne desperemus ex timiditate, cum salutem operari cum tremore ne efferamur in securitate. Theologia est, quæ inter præruptos hujus mundi scopulos ita navigare nos docet, ut ad cœlestis patriæ portum salvi & illæsi perveniamur. Theologia est, quæ ex lege facienda, ex Evangelio credenda ostendit; quæ pietatem erga Deum, charitatem erga proximum, sobrietatem erga nos ipsos inculcat; quæ sanctissimo dirigit ductu cor nostrum, ut credat & diligit; os nostrum ut Deo grata, piis salutaria loquatur; manus nostras, ut bene operentur, & mandato munere fungantur quam rectissime. Theologia est, quæ adfæctum impetus sedat, & inter varias turbas animum sola conquiescere, & Deo fidere facit; quæ nos in mundo extra mundum; imo, quæ nos extra nos rapit, & cum ipso Jehovah unit, ut spretis mundi vanitatibus cœlestia sapiamus & mentes nostras in cœlum elevemus.

11. Antiquissima & semper.

THEOREMA XII.  
(11.) ANTIQUISSIMA est.

Hæc

Hæc enim post hominis lapsum in ipso statim exordio mundi fuit revelata : imo Deus ipse principia & semina Theologiae, Legem nimirum & Evangelium proponendo, in Parædiso tradidit. Quicquid autem statim cum origine mundi esse potest, id nullo modo pro re novâ haberi potest.

Gen. 3, 19

### THEOREMA XIII.

#### (12.) NECESSARIA est.

n. Necessaria

Necessitas Theologæ patet partim ex fine ; siquidem sine illa neq; sapientes , neq; boni, neq; beati rectè perfectèq; reddi possumus : partim ex quadruplici illa cognitione, quam quilibet hominum sibi comparare debet, ut nimirum cognoscat Deum supra se, Angelos juxta se, Diabolum infra se , & tandem semetipsum inse. Hæc autem quadruplex γνῶσις ex nulla alia disciplina addisci potest. Ad imaginem Dei sumus in Protoplatis nostris conditi: Quid igitur magis necessarium, quam illius naturam cognoscere, & de istâ recuperandâ serio cogitare? Omnia propter hominem , homo propter Deum. Nihil ergo magis necessarium homini, quam semper à Deo pendere ; cum Deo semper colloqui, de Deo semper differere, & ad Deum omnia cogitata, dicta, facta, referre.

### THEOREMA XIV.

#### (13.) DIFFICILIS est.

13. Difficilis

Et quidem partim ob rationem objecti , quod sublimissimum , & non nisi à posteriori cognosci potest. Versatur n. circa res abstrusissimas , & omnem humanæ rationis captum transcendentes : unde hoc in loco meritò repetimus illud dilectorum experientiæ usu satis comprobatum : χαλεπὴ τὰ καλά ; partim ob rationem subjecti , quod est noster intellectus , qui crassis tenebris implicatus Ephes. 4. v. 18. & mysteria hæc difficulter percipit , quia sunt abscondita 1. Cor. 2. v. 7. Rom. 16. v. 35. imo stultitia sunt ei 1. Cor. 2. v. 14. Nulla n. datur proportio inter intellectum hominis , & mysteria divina , sed maxima pugna , cum τὸ Φρόνμα τῆς σογῆς sit inimicitia adversus Deum Rom. 8. v. 6. & 7 ; partim ob hæresēon varietatem & vitiorum copiam , quæ sacrum hoc studium satis reddunt difficile & intricatum .

Exod. 33, 5.

20, 27.

**Quot n. hæreses, tot belua immanissimæ, cum quibus Theolo-**  
**go indesideranter pugnandum, præsertim hæc mundi senecta, qua-**  
**Triæ dantur  
media gue-  
bus difficulti-  
tas Theolo-  
gie superari  
potest.**  
**hæreticorum refertissima. Non tamen animus planè abjicien-**  
**dus; verum utendu[m] potius est mediis que vir ille μεχαλοκίν-**  
**δυος B. Lutherus nobis præscribere voluit, uti sunt, oratio, me-  
ditatio, tentatio; illa munit, hac dirigit, ista perficit; illa nos fa-  
cit habiles, hac facit exercitatos, ista facit prudentes. Utamur  
modo iis, & simus in precando ardentes, in meditatione dilin-  
gentes, in tentatione patientes, & nobis facilis erit omnis in  
Theologia difficultas. Deus n. præstò erit sua gratia.**

### THEOREMA XV.

**Membrum.** *Absolutis attributis rectâ progredimur ad effectus  
II. sive usus Theologie, qui triplices.*

Possunt enim illi pro triplici hominum consideratione eleganter proponi, qui considerantur partim universaliter prout constituant unum corpus Ecclesie; partim communiter pro diversis statibus; partim singulariter in quo libet individuo: ex quâ triplici hominum consideratione triplices quoq; emergunt Theologia usus s. effectus.

### THEOREMA XVI.

**Triplices** *Nam (t.) quidam totum corpus Ecclesia concernunt,*  
*sunt Theolo- quam rectè plantare, ac plantatam gubernare docet Theolo-*  
*gia usus:* *i. Quidam, quò tria illa bona Ecclesiastica, puritas nimirum doctri-*  
*concernunt na, sanctitas vita, & integritas discipline sarta recta ma-*  
*totum corpus neant.* *Ecclesie.*

### THEOREMA XVII.

**2. Quidam attinent tres status Hierarchicos, Ecclesi-  
attinent tres asticum, Politicum, Oeconomicum, quibus omnibus Theolo-  
status Hie- gie præscribit facienda & fugienda, proponitq; vitam &  
rarchicos. mortem, præmia & supplicia.**

Statum Ecclesiasticum quod attinet, in illo vivunt Pastores, quibus Theologia præscribit modum fidem veram docendi, & vitam probam auditoribus inculcandi. Per fidem intelligitur doctrina pura: per vitam morum gubernatio honesta. Ad Rom. 15. 6. 4. doctrinam pertinent: 1. διδασκαλία. 2. ἐλέγχος. 3. παιδεία. 4. ἐπικυρό-ρ

ἐπανόρθωσις. §. γενέσια. 6. παραγόντοις. 7. παραγμένηα. Ad  
vitam spectant virtutes illæ, quas Apostolus futuro Theologo  
præscripsit. Tim. 3. & Tit. 1. Harum exercitio auditoribus suis  
præire & omnibus semetipsum τύπον bonorum operum in doctri-  
na & morum gravitate præbere debet; ne sana docendo & tur-  
piter vivendo, unī manu rapiat, quod alterā porrexerat, & ita  
plus obsit vita, quam prospicit doctrina. Statui v. *Politico* præsi-  
dent Magistratus, quos Theologia docet, quomodo se gerere  
debeant εὐσεβῶς erga D E U M, οὐ πρόως erga semetipcos, δικαιῶς  
erga subditos: quomodo debeat esse nutritii Ecclesiarum &  
Scholarum *Esaï. 40. v. 23* legum D E I custodes, & quidem probis  
in præmia: improbis vero in supplicia *Rom. 13. v. 1.* & seqq. In  
statu deniq; *Oeconomico* vivunt conjuges quibus Theologia tria  
conjugii bona proponit, uti sunt bonum fidei, bonum prolis,  
bonum Sacramenti. Bonum fidei est duplex, animæ & corporis.  
Animæ ob fornicationis fugam i. *Cor. 2. v. 12*. Corporis ob mu-  
tua auxilia *Gen. 2. v. 8*. Bonum prolis triplex agnoscimus i. quia  
parit D E O servos fideles qui eum colunt & reverentur, quò etiam  
spectat mandatum divinum *Eph. 6. v. 4.* quod parentes in edu-  
catione sibolis diligenter observare debent. 2. quia patriæ parit  
cives, qui societatem humanam conservant, 3. quia sibi parit li-  
beros & hæredes quibus familia conservatur. Bonum deniq;  
Sacramenti non minus triplex statuitur. Nam 1. conjunctio a-  
nimorum significat unionem animæ erga D E U M. 2. Conjun-  
ctio corporū repræsentat unionem Verbi & carnis. 3. Unus vir  
& una uxor significant unum sponsum Christum unius ejus  
sponsæ Ecclesiæ. Et ut multa paucis dicantur, Theologia est quæ  
statui Ecclesiastico præscribit, quomodo religio & purus D E I  
cultus exerceri; *Politico* quomodo vita tranquilla conservari;  
*Oeconomico* quomodo utriusq; seminarium esse debeat. Tres  
vero istæ ἱεραῖς scilicet status sacri præfigurati fuere per tria illa me-  
morabilia in arca fœderis olim reposita, quæ fuerunt Tabulæ  
Mosis, Virga Aaronis, & Manna scilicet panis cœlestis. Tabulæ statum  
*Ecclesiasticum*, Virga *Politicum*, Manna *Oeconomicum* adumbrabat.  
Et sicuti duo Cherubim alas suas super arcam extendebant, &  
D E U S illam singulariter protegebat: Ita etiam adhuc super sta-  
tus tres.

*Tit. 2. 6. 7.*

His tres prædictos alas suæ gratiæ, & defensionis expandit, & mi-  
rabiliter eos defendit.

### THEOREMA XIX.

3. Quidam  
concernunt  
personas  
particulares

(3.) Quidam spectant particulares personas, quæ sunt  
vel rudes & docentur, vel infideles atq. errantes & refuian-  
tur; vel ignari faciendorum, inq. bono remissi & admo-  
nentur; vel securi impij & corriguntur; vel contriti ac  
sub cruce gementes & solatio refocillantur.

### THEOREMA XIX.

Ut autem Theologia in distinctis distincta efficit, ita &  
universos à peccatis ad D E U M convertit (quæ conversio  
est instar medii de ducentis ad finem h. e. vitam æter-  
nam) illuminando mentem, sanctificando voluntatem, fre-  
nando appetitum, pieg, vivere & tranquille mori facit, ut ita  
reddat homines sapientes, prudentes, beatos, quæ ipsa beat-  
itudine hic inchoatur, illuc vero in altera vita consummabitur  
ad sempiternam nominis divinæ gloriam.

In hoc theoremate tres generalissimi Theologiæ usus con-  
tinentur, quorum primus est hominis conversio, quæ duo inclu-  
dit bona, tum sapientiam, quæ cognoscit homo D E U M supra se,  
Angelos juxta se, Diabolos infra se, semetipsum inse; tum pru-  
dentiam, quæ homines eò dirigit, ut D E U M ex toto corde dili-  
gant, sibi à peccatis cœveant, & ad beatam ævæ lucem præparent:  
unde artem docet piè vivendi, fortiter patienti, & beatè mori-  
endi. Post conversionem sequitur glorificatio: & deniq; ex  
glorificatione orta beatitudo, & æterna D E I laudatio.

### THEOREMA XX.

Membrum.  
III.

Post tractationem usuum Theologie, nobis agendum est  
de variis modis proponendi & propagandi eandem. Ubi stan-  
tim sciendum, quod duo sunt generalissimi modi, quibus est  
Theologia proposita & propagata; prior est ἡγεμονία & in vi-  
va vacis traditione; posterior est εγγεμονία & in scriptis sive  
literarum monumentis consistit.

Omnis n. cognition oritur ex sensu, cum nihil sit in intelle-  
ctu.

Duo sunt  
modi propa-  
gandi Theo-  
logiam.

Et si quod non prius fuerit insensu. Sunt a. potissimum duo sensus, qui nos ad cognitionem rei ducunt : auditus nimirum & visus. Hinc duos habemus modos sensa animi nostri aliis communicandi. Prior fit per auditum , qui vivam requirit vocem ; posterior per visum , qui postulat scriptionem. Si itaque res aliqua aliis ad cognoscendum est proponenda , id fieri solet vel per vivam vocem , vel per scripta.

### THEOREMA XXI.

Primum vivâ voce Theologia est tradita , quando illam Tradita est DEUS Patriarchis revelavit , cum quibus fuit collocutus , & Theologia illi eandem suis posteris inculcarunt usq; ad Mosen .  
1. vivâ voce.

Sine revelatione n. Theologiae imaginis divinæ nulla restauratio partialis & inchoativa hac in vita fieri potuisse. Hinc etiam statim in ipso Paradiſo fundamenta Theologiae à D E O Protoplatis tradita fuerunt , ut supra demonstratum fuit.

### THEOREMA XXII.

Cum autem traditio facile corrumpe posset , modo isti 2. Scriptura priori scriptura subiecta est ; siquidem Jebovah ipse tabulas legis suo digito scripsit , & Mosen præcipua religionis capita conscribere iussit , quem postea distinctis temporibus alii Prophetæ insecuri sunt sua Ecclesiæ scripta relinquentes.

Hoc in loco notandum venit , quod omnis scriptura respectu sua traditionis quadrifariam considerari possit. Est n. vel divina ex toto , ut duas tabulæ Mosis , quarum autor Deus est quoad rem & literam ; vel humana ex toto , ut sunt scripta omnia profana , quorum autores homines sunt quoad rem & literam ; vel divina quoad rem & inspirationem divinam : non vero quoad literam , ut libri Prophetici & Apostolici ; vel deniq; divina quoad rem ; non v. quoad immediatam inspirationem & literas , ut sunt libri omnium orthodoxorum Theologorum.

### THEOREMA XXIII.

Mansit aurem uterque modus revelationis usq; ad tempora post Malachiam , qui ultimus fuit Prophetæ , & post quem res divina non immediatè revelata , sed tantum ex scripturis petenda erant.

Sciendum

Sciendum itaq; quod revelationes rerum divinarum in V.  
T. factæ sint vel *εὐαγέστως*, vel *εὐαγέστως*. (1.) *Αὐεστως* quando ni-  
mitum Deus ipse in sua persona homines allocutus est, objici-  
endo auditui vocem articulatam. Sic post lapsum Protoplastos  
nostros statim vocavit, eosq; ob peccatum commissum corri-  
puit, & latissimam defuturo Messia promissionem primitus pro-  
mulgavit Gen. 3. v. 14, 15. (2.) *Εὐαγέστως* quod factum est vel per  
vivam vocem Angelorum, uti legere est Gen. 22. v. 11. Gen. 32. v. 1.  
Exod. 3. v. 2. Iud. 13. v. 3. & alibi locorum; vel per sacerdotes sum-  
mos, qui habeant Urim & Thumim super pectus suum, ex qui-  
bus signis voluntatem Dei facile percipere poterant, & deinceps  
eam populo annunciare; vel per ordinarios Prophetas, quos  
Deus voluntatis suæ præcones & interpres esse voluit, qui et-  
jam auditores suos Theologiam fideliter docuerunt!

#### THEOREMA XXIV.

Docendi autem modus usq; ad Christum semper mansit  
geminus; quia partim vivâ voce in Scholis & Synagogis tra-  
dita est Theologia; partim ex scriptis Prophetarum aliorumq;  
Doctorum capi potuit & addisci.

#### THEOREMA XXV.

*Non eadem semper Theologia facies permanxit, quan-*  
*dog; pura, quandoq; maculata, quandoq; penitus corrupta &*  
*mox iterum reformata fuit. Potestq; omnis Theologia V. T.*  
*dip... qui in puram, qua fuit Prophetica, & depravatam que-*  
*viguit partim ante captivitatem Babyloniam, eratq; tum Sa-*  
*maritana in regno Israels, tum Baalitica in regno Iude; par-*  
*tim post captivitatem ubi Pbarisaica cepit, & cum illa sectæ*  
*aliæ ut Essorum, Sadducaorum & similium.*

Ex his manifestum est Theogiam V. T. quasi quatuor an-  
ni tempora expertam esse. In Vere enim fuit constituta tempore  
Patriarcharum ubi vigere & florere incepit. Aestate habuit  
tempore Mosis & Judicum, ubi semina Theologiae germinare  
fructusq; maturescere ceperunt, & jubar verbi clarius fulsit.  
Autumnus experta est tempore tum Regum inter quos primum  
locum occupant David & Salomon; tum Prophetarum, ubi fru-  
ctus tu-

Exod. 28. 6.

30.

1. Sam. 28. 6.

6.

Atus tulit copiosissimos, quales fuere templi ædificatio; & superstitutionum Ethnicarum abolitio &c. In Hyeme fuit tempore posteriorum Regum, captivitatis Babylonicæ & Pharisæorum, ubi in glaciem quasi falsarum & impiarum opinionum concrevit, & omnem puritatem amisit.

### THEOREMA XXVI.

In N. Testamento Theologia & doctrina vera primum similiter tradita est viva voce à Christo & Apostolis. Deinde autem in literas redacta, post que tempora nullum aliud principium Theologia in Ecclesia infallibile vel viguit, vel usurpatum fuit, quam verbum DEI scriptum; licet ipsa Theologia semper, partim vel vivâ voce in templo & scholis, partim v. scriptis, qua Ecclesia D. D. ediderunt propagata fuerit, quæ scripta supra in symbolica & non symbolica, partim didicuntur & ἐλεγχοῦ, partim ἐξηγοῦνται divisa fuerunt.

Primum docendi genus nimirum didicuntur incepsum est sub initium seculi violentiæ sub Imperatoribus Rom. qui Christianos gravissimè persequebantur. Ελεγχοῦ cepit sub initium seculi fraudulentiae sub variis hereticis, qui venenata dogmata spargebant. Deniq; ἐξηγοῦντο suum habuit initium circa seculum fraudulentæ violentiæ & violentiæ fraudulentiæ partim sub regno Mahometico in Oriente, partim sub Pontificio in Occidente; ubi veritas oppressa, & idololatria armis dolisq; introducta fuit, & adhuc proh dolor! introduxitur.

### THEOREMA XXVII.

Non eadem ergo Theologia Christianæ semper mansit facies, sed erat illa (1.) pura & pulchre ornata tempore Apostolorum & Martyrum. (2.) Nonnihil maculata tempore quorundam Patrum, ubi à priscâ simplicitate paulatim deflectebatur & humanae opiniones subinde admiscebantur. (3.) Prorsus deformata, partim per hereticos, partim sub pleno dominatu Romani Pontificis, ubi scholastica & causistica Theologia obtinuit. Et nunc (4.) per DEI gratiam denuo reformata: licet Papista, Anabaptista, Calvinista,

C Photi-

*Photiniani, & diuersi Fanatici, alioq[ue] heretici eam oppugnant,  
& suas unā uacuas locū ac propugnant.*

Solet alias status Theologiae tempore N. T. sub quadripli facie, instar mulieris, proponi. Etenim virginalem habuit faciem tempore Christi, & Apostolorum; lascivientem & amatoriam tempore Parrum; ubi cepit complecti suos impuros processos; Meretriciam sub Papatu prae se tulit, ubi triplex florebat Theologia, nimirum Lombardica, in qua docebatur hominem salutem gratia & operibus consequi posse, Thomistica, quæ sola opera pro medio consequendi salutem agnoscebat, Monastica in qua multa abominanda proponebantur; hinc etiam orti sunt tot Monachorum ordines. Matronalem vero faciem Theologiae accepit post reformationem ante annos 100. ab ipso B. Luthero institutam, quam etiam imposterum Deus clementissime conservare velit!

### THEOREMA XXVIII.

*Membrum  
IV.*

*Jam ordo nos deducit ad membrum quartum, in quo de comparatione Theologia cum aliis disciplinis agendum erit. Notandum autem est, quod illæ partim convenient, partim differant.*

### THEOREMA XXXIX.

*Conveniunt, & quidem*

1. *Ratione generis remoti*: quia Theologia & omnes disciplinæ aliæ sunt habitus animi, qui crebris actionibus acquiruntur.

*Jac. 1. 6; 17.  
Prov. 16. 6. 4.* 2. *Ratione causa efficientiæ primariæ*, quæ Deus est, à quo ut omnne bonum; ita & omnes disciplinæ utiles ab ipso suam originem ducunt:

*Exod. 31. 6. 2.* 3. *Ratione causa instrumentali & propagantiæ*; quæ utrobiq[ue] sunt homines eruditæ, qui sunt instar manuum Dei, quibus opera sua absolviti. Ulti n. Beseleel impletus fuit Spiritu S. intelligentia & scientia in omni opere, ut omnia facere posset, quæ à Deo præcepta fuerant: sic etiam Deus adhuc hodiè sua sibi excitat organa, per quæ disciplinas nobilissimas & promovet & conservat.

4. *Ratione materiae partim ex qua*, quæ sunt principia & conclusiones disciplinarum omnium; *partim in qua* vel subjecti in hæfsonis, quod est vel primarium ut intellectus, vel adæquatum ut homo: omnis enim habitus animi consistit in intellectu humano.

*J. Res.*

5. Ratione formæ, quæ utrobiq; est conceptum sive præceptorum apta comprehensio & coordinatio. Omnis n. disciplina vel οὐσιαστικῶς, vel ἐξικνῶς considerari potest? Priori modo existit in libris; posteriori vero in intellectu.

6. Ratione finis externi & remoti, qui est felicitas hominis generatim sumpta, & hinc resultans Dei gloria.

7. Ratione quorundam attributorum generalium. Ut n. Theologia: sic quævis alia disciplina est una quoad γνῶσην & ὑπαρχὴν. Vera & quidem quoad causam efficientem, quia qualibet earum suum-  
ortum trahit à Deo vero; quoad materialem, siquidem omnes  
constant talibus rebus quæ veritatem concernunt; quoad for-  
malem, quia secundum veritatem de illis differunt; & tandem  
quoad finalem, quia ad veritatem ducunt. Certa ob conclusio-  
nes & principia sua certa. Eximia & jucunda, utilis & necessa-  
ria, quia perficiunt vel intellectum hominis cognitione veri, vel  
voluntatem appetitione boni.

8. Ratione usum & effectuum, quia homines in genere reddunt sapientes, prudentes, felices, ubi instar mediorum sunt sapientia & prudentia; finis v. ipsa felicitas. Non a. hoc Theologia, & reliquæ disciplinæ eodem præstant modo: Est n. alias magna differentia, intet sapientiam & felicitatem æternam & tempora-  
lem, divinam & humanam.

9. Ratione modorum proponendi & propagandi, quoniam ut Theologia: sic quoq; aliæ disciplinæ tum viva voce, tum scriptis proponi propagariq; solent.

### THEOREMA XXX.

Verum uti hisce prænominatis modis conveniunt: ita  
etiam ceteris respectibus differunt. Et quidem

1. Ratione generis propinqui, cum Theologia sit habitus θεοτόκος vel divinitus datus; reliquæ vero disciplinæ omnes sint saltē ha-  
bitus ἐπικτητοὶ s. acquisiti. Nam (uti alias notum est) triplices  
dantur habitus: quidam sunt ἐμφυτοὶ s. connati, qualis est pec-  
catum originis; quidam dicuntur ἐπικτητοὶ s. acquisiti, quoniam  
humanis viribus acquiruntur, quales sunt omnes disciplinæ re-  
liquæ; & tandem quidam dicitur θεοτόκος, qualis est Theolo-  
gia, quæ habitus θεοτόκος dicitur, partim ob principii, partim  
objecti cœlestem & divinam naturam.

2. *Ratione cause efficiētū primari.e, & cum primū quoad causan-  
di modum.* Nam D e u s est Theologiæ causa immediata, proxima & solitaria ; idem vero D e u s est reliquarum quoq; causa, sed mediata, remota, socia.

3. *Ratione cause instrumentalis*, quæ gemina inanimata vel re-  
alis, & animata vel personalis. Illa in Theologia est verbum  
D e i scriptum, vel lumen gratiæ, quod in cordibus tenatorum  
lucet : in reliquis vero disciplinis est lumen naturæ *nouæ* *environatæ*  
comprehendens, quod etiam simul includit reliquias imaginis  
divinæ, quarum beneficio disciplinæ reliqua omnes inventæ  
sunt. Hæc quoad Theologiam sunt legitimè vocati D D: quo-  
ad cæteras disciplinas sunt Philosophi & doctri homines, in Ec-  
clesia sive extra illam degentes.

4. *Ratione materiæ, partim ex qua, quæ in Theologia sunt  
præcepta de mysteriis divinis, ex scriptura hausta, in qua nobis  
gratiosè sunt revelata, qualia sunt, D e u m esse unum in essentia,  
& trinum in personis, Patrem ingenitum esse, Filium genitum,  
Spiritum S. à Patre & Filio procedere &c. Omnes ejusmodi ve-  
ritates habentur supernaturaliter per solam revelationem in sacro  
codice à D e o nobis factam : in aliis vero disciplinis sunt præ-  
cepta de rebus humanis ex lumine naturæ collecta ; partim circa  
quam, quæ in Theologia est vera religio de credendis & facien-  
dis : in cæteris disciplinis sunt res necessariæ & contingentes in  
solâ naturâ fundatae.*

5. *Ratione formæ speciatim sumptæ, quæ in Theologia est com-  
prehensio præceptorum de rebus divinis : in aliis vero disciplinis  
est comprehensio præceptorum de rebus humanis.*

6. *Ratione finis interni, qui est in Theologia homines perdu-  
cere ad salutem æternam, & felicitatem spiritualem : in discipli-  
nis vero reliquis homines moraliter & civiliter felices reddere.*

7. *Ratione attributorum quorundam, uti quod Theologia tota  
est divina, sancta, *αὐτοῦ* revelata, id quod affirmari nequit de  
reliquis disciplinis ; imo quod etiam Theologia istis omnibus sit  
longè certior, perfectior, immutabilior, præstantior, jucun-  
dior, utilior, magisq; necessaria & difficilis. Hæc enim attri-  
buta Theologiæ καὶ ἐξοχὴν καὶ περιττὰς competunt ; reliquis ve-  
ro disciplinis saltēm δευτέρως attribuuntur.*

8. R4-

8. *Ratione usum & effectuum*, siquidem Theologia Ecclesiam rectè plantare, & plantatam ritè gubernare docet, informat statutus Hierarchicos, personas singulas instruit, arguit, admonet, corrigit, solatur, & ad salutem æternam promovet, quæ omnia de reliquis disciplinis ita affirmari nequeunt.

Deniq; 9. *ratione specialium modorum proponendi & propagandi*, quia aliter Theologia in V. & N. T. proposita fuit, ut supra ostendimus, & aliter artes reliquæ proponi consueverunt.

### THEOREMA XXXI.

*Restat adhuc membrum quintum & ultimum de pu-* Membrum  
*nantibus cum Theologia. Pugnant autem cum illa quadam* V.  
*Φανούεως vel apparenter, quadam ὄρτως vel realiter.*

Omne n. quod est aut revera est, aut saltem essendi speciem habet, & apparenter est. Sic quidam Christiani habent saltem θεοφανίαν quandam in cœlo Ecclesiastico, ut quædam meteora in cœlo aereo, & sunt saltem φανουέως Christiani: quidam vero habent in cœlo, & sunt ὄρτως Christiani.

### THEOREMA XXXII.

*Φανουέως sive apparenter cum Theologia pugnant disci-*  
*plice Philosophica, quarum effata & principia nonnunquam*  
*videntur contraria Theologicis assertionibus; sed non sunt*  
*vere contraria, cum verum vero, virtus virtuti, unum*  
*D E I donum, & verbum alteri D E I dono & verbo nunquam*  
*re ipsa possit contrariari.*

Etenim unicum & simplex sibi non contrariatur. Veritas autem unica est & simplex, sive proponatur in Philosophia sive in Theologia: distinctæ enim disciplinæ veritatem non multiplicant ratione sui, quamvis ratione objecti. Hinc nihil Theologia habet verum, quod Philosophia dicat falsum: nec Philosophicum Principium ullum datur, quo Theologica veritas revertatur: Utraq; enim (ut in theor. dictum fuit) est donum D E I, sicuti autem D E I ipse secum non pugnat, ita nec dona ejus. Imo altera alterius utitur interdum servitio, seq; beneficio alterius illustrem præbet & conspicuam. Sicut autem Theologia in divinâ revelatione; sic Philosophia in recta fundatur ratione:

& veluti duo fundata inter se non pugnant ; sic nec duo funda-  
menta. Attamen Theologia dominatur rationi, hæc autem  
servit illi ; illa Regina, hæc pedissequa ; illa Sara, hæc Agar ; il-  
la moderatur, hæc gubernatur. Plura qui de hac questione legere  
sat agit, videat Rever. & Clariss. Dn. Preceptorem Presidem in 1. parte  
Phil. Sobr. sect. 4 c. 2. q. 3. pag. 885. Albertum Gravverum de unica re-  
vitate, Morneum in Pref. vere Christ. relig.

### THEOREMA XXXIII.

Notandum tamen insuper quod Philosophia considera-  
ri queat vel ratione etiōc, & prout in legitimo usu constituta  
est, vel ratione sue utrāq; & eoc prout in nonnullis existit, &  
quando in abuso constituta est.

Philosophia priori modo considerata non pugnat cum  
Theologia; quoniam omnia sua principia, & conclusiones vult  
tantum intellectas de rebus naturalibus, & ordinaria eorum ha-  
bitudine, ex qua de rebus supernaturalibus & mysteriis fidei non  
judicandum. Quando autem posteriori modo Philosophia ac-  
cipitur, tunc sèpius illa cum Theologia pugnat, dum nimis  
sua principia nimis extendit, sine limitatione accipit, adeoq; re-  
bus supernaturalibus in scriptura propositis opponit. Illud sit  
de jure : hoc vero de facto, & hic merito Poetæ versiculos ob-  
servandus esset :

Usus habet laudem, crimen abusus habet.

### THEOREMA XXXIV.

Verè & realiter cum vera Theologia pugnat omnis The-  
ologia falsa, que est vel insidium extra Ecclesiam, vel her-  
eticorum in Ecclesia.

### THEOREMA XXXV.

Falsa Theologia extra Ecclesiam hoc postremo mundo  
tempore in primis triplex est.

1. JUDAICA, quæ Rabbinicum Talmuth habet pro prin-  
cipio fidei infallibili.

2. TURCICA, quæ Alcoranum Mahometi agnoscit pro  
norma credendorum & faciendorum, quo etiam referri potest  
PERSICA quæ in nonnullis tantum à Turcica differre dicitur.

3. ETH.

3. ETHNICA, quæ antiquis nunc majorum superstitionibus & traditionibus, qualis est Theologia Indorum, & aliarum gentium infidelium.

### THEOREMA XXXVI. & ultimum.

*Falsa Theologia intra Ecclesiam hoc tempore inprimis est quintuplex.*

1. PAPISTICA, quæ iterum difformis, & dividi potest in Lombardicam, Thomisticam, Monasticam, Interimisticam, & Jesuaviticam.

2. ANABAPTISTICA, quæ etiam in diversas classes divisa est.

3. CALVINISTICA, quæ quoq; suas sectas habet distinctas.

4. PHOTINIANA, vel SOCINIANA, quam Faustus Socinus, nimium infaustus maximam partem interpolavit.

5. FANATICA & WEIGELIANA, quæ paucis ab hinc annis caput efferre cepit.

De his sectis singulis in sequentibus disputationibus in specie agendum erit: ideo nos vela contrahimus, & disputationi huic nostræ voto piissimo colophonem imponimus.

Vera tui veri, VERBUM, sententia verbi

Floreat, afflatu corda docente tuo.

Intereant contra scholii mendacia vafri,

Quale tuo verbo quisq; Sophista patat.

F I N I S.



二三三

05 A 2473

ULB Halle  
004 545 370

3



VDT7



# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
1	2	3	4	5	6	7	8	9

Centimetres



M THEO-  
M  
O IX.

UTIS,  
IS PRO-  
ARATIONE  
PLINIS, ET  
OLOGIÆ,

ISPICE

Vittebergensi

o

MEISNERI,

Præceptoris sui  
idi,

andam

BARTHISIUS,

ius.

gio Veteri.

is Gormanni,  
V,